



...dign
...ola: rap
...bonis op
...me ab oī pō. n
...ellum sūm dīa z d
...ad eritū aīe m. dī i v
...qu. si xēctioē iustō:
...e pīma refuge dīe sū
...
...pato i q
...genis nūm
...ia xēctio. hī dī
...ā ad sabatū emē tēp
...lītes. celestis pasche gā
...ā i vā e lacrimas. hī tē



admitte quærimoniam meam, et ex tua promissione
verum celestem instrues, os loquens mihi,
contradictore, aut resistere neque
fur in conspectum tuum supple.
dures tuas perueniat. libera
um recepsisti, ab omni periculo,
is, saluum seruas, et incolumem.

III. IIII.

Quæstabunt labia mea
Mecueris me iustificatione
pronunciabit lingua
psuum: quia

animi promissio, vtrō
me Domine, et verbi
in explic
abra quæ
non erit certe vllum
is benefi
m, nisi d
osuo. am

VI. VII.

mandata tua vt saluet me: quod
elegi.

incubini salutare tuum Domine

Quare Deus inuocandus. Vt animo, et cogitatione doct
firnam celestem comprehendere, et pure, ac sincere alijs ex
plicare possim, sublatâ voce clamorem ad te edo. Quare tueri me
et defende: vt de tuorum decretorum præscriptionibus viam
et mores gubernare queam.

III. IIII.

Præueni in immaturitate &
maui: quia in verba tua superpera
Præuenerunt oculi mei ad re
culo, vt meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, quæ est fides, à circumstantia
ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quiritat
præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo ver
hens. Nondum cum vâga celo sidera fulgens aurora fu
stulum relinquo, vt mediter verbum tuum: deq; tuis m
ad curæ me commisso sermone habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
fericordiam tuam Domine: & secun
dum iudicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet vllius vi
meriti, quod ab opibus nostræ naturæ proficisci potest.
tum misericordiae, et clem
ta peccata, inquit Ambrosius
implorantis tuam
tam mihi hanc quam
ex hominibus

es me

Ἐν τῇ Θεῷ παλάμῃ

DISPUTATIO V.

in Cap. LIII. Esaiæ,

DE

SEPULTURA ET

RESURRECTIONE CHRISTI,

In Electorali ad Albim Academia,

Tῆς ὀρθοδοξίας confirmandæ, & ψευ-

δοξίας refutandæ gratia,

instituta.

AUCTORE AC PRÆSIDE

IOHANNE FORSTERO

S S. Theologiæ Doctore & Pro-
fessore publico,

RESPONDENTE

M. DANIELE HERMANNO,

V Vratislaviensi.

Die 28. Sept. horis locorū consuetis.



WITTEBERGÆ,

Typis Joh. Germani, Anno 1610.



VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS ET CONSUL-
TISSIMIS,

Dn. DAVIDI RÖGER/
Inclutæ Reipublicæ VVratislaviensis
Senatori Primario, Capitaneo
Namslaviensū meritissimo,

Dn. IOSEPHO FÜRGE/
à Kupfferberg/in Lübenstein & Siebiggs-
dorff Domino hereditario.

Dn. HEINRICO ROMAZER/
in Galowitz.
Ejusdem laudatissime Reipublicæ Sena-
toribus dignissimis,

Dominis & Patronis colendissimis,
Disputationem hanc Theologicam
Perpetuum debitæ gratitudinis monumentum

CONSECRAT

M. Daniel Hermannus
VVratisl.





Τ Α Π Ρ Ο Ξ Τ Ρ Α

Theimation.

I.



Postolus εγενωδιδαντ in 1. Cor. c. 15. inter
alia quoq; pronunciat, quod **CHRISTUS**
& sepultus fuerit, & ex mortuis resuscita-
tus, **SECUNDUM SCRIPTURAS.**

II.

Intelligit verò Scripturas Veteris
Instrumenti, in quibus *partim* opertis typorum umbra-
culis implicitè, *partim* apertis Prophetarum oraculis
explicitè, utrumq; hoc negocium prænunciatum esse
liquet.

III.

Inter *typos* excellunt maximè, typus (a) *Josephi* in
carcerem coniecti, & inde rursus liberati; itemque (b)
Samsonis oppido Gaza inclusi, atque isthinc portis oppi-
di perruptis elapsi; nec non (c) *Jona* à Balæna absorpti,
& tertio mox die, iterum eructati (d) *Virga* Aaronis
&c.

(a) Gen. 40, 41. (b) Jud. 16. (c) Jon. 2. (d) Num. 17.

IV.

Inter *oracula* autem Prophetica π̄ προτίρημα assigna-
tur **LIII. Caput** *Esaiæ* Prophetæ μεγαλοφωνάτης, Nazian-
zeni Θεολογοπάτῆς iudicio.

A 2

Quem.

252

V.

Quemadmodum enim de Passione ac Morte CHRISTI tanta vaticinatus est claritate, ut Evangelistæ, quàm Prophetæ videatur similior: ita etiam de Sepultura & Resurrectione CHRISTI prophetias post se reliquit longè illustrissimas.

VI.

Posteaquam igitur proximâ συζητήσει, in perlustranda Passione ac Morte CHRISTI versati sumus: hac jam vice ad sanctum ipsius sepulcrum nos conferimus: Sepulturam & Resurrectionem eius ex adytis Prophetæ, in proscenium Academicum producturi.

DE SEPULTURA

CHRISTI.

VII.

De Sepultura SALVALORIS tale Prophetæ prodicit vaticinium:

Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua:

Hebræus textus sic habet:

וַיִּתֵּן אֶת־רַשְׁעִים קְבֻרָו וְאֶת־עֲשִׂיר בְּמֹתָיו:

id est:

Et dabit impios sepulcrum suum: & divitem in mortibus suis,

Lutherus:

Er ist begraben wie ein Gottloser/ vnd gestorben wie ein Reichher.

IIX.

In quo paragrapho dextrè, & καὶ ἀναλογίαν πίστεως explicando: variè se macerant Interpretes.

Plerique

IX.

Plerique impios & divitem pro synonymis habent: *Opiniones Interpretum.*
 Alij ἀντιμεταβολὴν à Propheta usurpant autumant.

X.

Calvinus pro sua quidvis fingendi, ac refingendi ἀντιμεταβολὴν locum hunc, ab ὑποχειμένω γίνεσθαι planè detorquet, adeoque sepulcri significationem propriam in metaphoricam transformare non veretur; suis in Commentarijs, διαρρήδην ita scribens:

Quis inter scelestas & sanguinarias istas manus obrutum ac sepultum CHRISTUM non judicet? Sic enim sepulcrum hinc ΜΕΤΑΦΟΡΙΚΕ accipio, quod impij & violenti eum veluti obruerint.

XI.

At enim verò quid opus est tam superstitiosa ἐποχὴ tantoque sententiarum divortio, cum Veritas in aprico cōstituta sit, si modo fontes penitus inspiciantur, cumque vaticinio hoc Prophetico ejusdem complementum Evangelicum παρὰ ἑλλήως conferatur.

XII.

Istud enim si feceris: deprehendes utiq; quid intelligi oporteat per *Impios*, quid per *Divitem*, quid item per phrasin ἰησοῦς in *mortibus suis*, & quis denique totius aphorismi Prophetici sensus verus ac genuinus existat. *Vera interpretatio eruitur.*

XIII.

Ac *impiorum* quidē appellatione notantur καὶ ἐξοχλῶν *Judei* pariter & *militēs impij*, quorum illi à Pilato impetrarunt, (d) ut ab his Sepulcrū CHRISTI custodiretur, ut sensus sit: *Dedit, id est, permisit & passus est Impios (militēs) sepulcrum suum custodire.* (d) Matth. 27.

A. 3

Per

XIV.

Per *Divitem* verò intelligi debere liquet non Judæos iterum, sicut aliqui existimant, qui nomen singularis numeri pluraliter ac collectivè interpretantur, per Synecdochen, vel potius Enallagen numeri: verùm *Iosephum* illum Arimathæum, qui per Synecdochen Generis, vel *κατὰ λόγον ἐξαίρετον*, vocatur *Dives*, duplicem ob causam.

XV.

1. Propter opum plurimarum *κτησιν*, à qua ab Evangelista quoque singulariter commendatur *Mat. 27, 57*.

XVI.

2. Propter earundem *κτησιν*, inde insigniter conspicuam, quòd eas ad Sepulturam DOMINI cohonestandam larga manu, & *πλέονι μέτρω*, ut dicitur, contulit.

XVII.

Per phrasin denique *ἐν τοῖς ἡμέραις τῆς θανάτου* in mortibus suis determinatur tempus Sepulturæ, eamq; factam esse indicatur, *post mortes ejus*, id est, posteaquam sustinisset mortem, & cruciatus omnes mortem antegressos, qui & ipsi propter diritatem, jure optimo, mortes dici poterunt; quemadmodum & alibi in Scriptura afflictiones & plagæ mortes nominari solent. *Exod. 10, 17. 2. Cor. 1, 10. 6. 11, 23.*

XVIII.

Quibus ita constitutis; haud obscurè elucet: verum ac genuinum aphorismi illius Prophetici sensum non esse alium præterquam hunc:

CHRISTUS à Ioseph Arimathæo honorificè sepultura affuitur, ejusq; sepulcrum ab impijs Judæis militibus impijs custodiendum commendabitur.

XIX.

Ceterùm

Ceterum quod ipsum sepulturæ hujus *actum* spectat: *Descriptio A-*
descriptus is est ab Evangelistis, secundum præcipuas *ctus Sepultu-*
descriptis; quarum sex potissimum ex historia Evangelii. *ra 6. Circum-*
ca colligere licet. *stantijs con-*
stat.

XX.

Fructus & effectus illius numerari possunt hi maxi- *Fructus se-*
mè subsequentes: *ptem,*

XXI.

Quorum *primus*, ut Scriptura, & præsertim Prophe-
tia præsens nostri Prophetæ impleretur.

XXII.

2. Ut Sabbathum Redemptionis responderet Sab-
batho Creationis *Gen. 2.*

XXIII.

3. Ut CHRISTUS, hoc Redemptionis Sabbatho, æ-
ternum illud Glorificationis Sabbathum nobis postli-
miniò restitueret. *Esa. 66, 23.*

XXIV.

4. Ut figuraret mysticum illud sanctificationis Sab-
bathum, quo peccata nostra assiduis poenitiæ exer-
citijs sepelienda nobisq; ab operatione iniquitatis qui-
escendum. *Rom. 6, 4. Heb. 4, 10.*

XXV.

5. Ut majorem ac firmiorem faceret fidem Veri-
tati mortis suæ. Unde *Tertullianus*:

Non sepultus, nisi mortuus.

XXVI.

6. Ut testaretur nostra secum peccata sepulta &
in terræ usque abyssum demersa esse.

XXVII.

Ubi facere non possumus, quin Lutheri Patris &
Præceptoris nostri verba verè aurea, imò auro, &, si
quid

256.
quid auro preciosus, preciosiora, huc adscribamus:
Durch solch en vnschuldigen Todt CHRISTI,
ist die ganze Welt von Sünden gereiniget / vnd enstediget / vnd derhalben erlöset von dem Todt vnd allem vbel. Weil denn durch diesen einigen Mittler zwischen GOTT vnd den Menschen / JESUM CHRISTUM / die Sünd vnd der Tod hinweggenommen sind / were die ganze Welt wol aller ding so rein / das vnser HERR Gott darinnen nichts anders sehen könnte / denn eittl Gerechtigkeit vnd Heiligkeit / wenn wir nur glauben könnten. Vnd ob auch gleich etwas von Sünden noch vbrig bliebe / könnte doch Gott solche Sünden / für dieser klaren hellen Sonnen / welche CHRISTUS ist / nicht sehen. Tom. I. VViteb. f. 154.

XXVII.

Ut sepulcra nostra, corporis sui ἀμάντε καὶ ἀφθάρτε contactu, consecraret, ita, ut, quæ, juxta iudicium Rationis, spelæa cadaverum foedissima, κοιμητήρια Fidelium evaserint suavissima. Es. 26, 20. G. 55, 2.

XXIIII.

Cujus rei typus quidam perelegans præmonstratus 2. Reg. 13, 21. idemq; Angeli immortales illi Spiritus, submonere visi, dum in sepulcro sedentes de CHRISTI in vitam reditu concionari. Matth. 28. Marc. 16.

XXIX.

Et tantum de Sepultura CHRISTI: progrediamur ἀνεμποδίσως ad Resurrectionem ejus, Sepulturae ἀντίστονον.

DE RESURRECTIONE

CHRISTI.

XXX.

De hac Propheta duo maximè tractat & persequitur.

257.
quitur. Unum est resurrectionis CHRISTI *Actus*:
Alterum sunt ejusdem *fructus*.

XXXI.

Ad *Actum* Resurrectionis digitum intendit, dum
ait: ver. 8.

*De angustia & de judicio sublatu est: generationem e-
jus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium:
propter scelus populi mei percussus eum.*

XXXII.

Quòd Vaticinio huic angustissimo ex affe respondeat
rit eventus: testes omni exceptione majores planeque
ἀνοπείθουοι sunt omnes quatuor Evangelistæ; maximè ve-
rò *Lucas* expressè scribens, quòd CHRISTUS post re-
surrectionem suam sese viventem discipulis suis *πολλοῖς*
τεκμηρίοις exhibuerit *Act. 1.*

XXXIII.

Ac ne quis ambigat, quid per *τεκμηρία* illa intello-
ctum velit: ilicò se ipsum explicat, *τῆς ἐπισημῆτος ἐνεκα,*
ἀδικοῦτος hunc subnectens paragraphum:

*Dum per dies quadraginta CONSPICITUR ab illis, ac
loquitur eis de Regno DEI.*

XXXIV.

E quo in proclivi est colligere, quòd apparitiones
vel patefactiones CHRISTI habeat pro *τεκμηρίοις* evi-
dentissimis, quibus Resurrectio ipsius probatissima, te-
statissimaq; reddi queat.

XXXV.

Earum autem *sedecim* in universum numerari pos-
sunt, inter quas tamen hoc est discriminis, quòd *priores*
decem, ante: *posteriores* autem *sex*, post CHRISTI in cœ-
los ascensionem, contigerunt.

B

Inter

XXXVI.

Inter eas, quæ ante CHRISTI in cœlos ascensionem contigerunt, hæc subdistinctio constitui potest; quod earum quædam ipso die Paschatos; Quædam verò post diem Paschatos factæ sunt.

XXXVII.

1. Die Paschatos apparuit CHRISTUS quinquies: (e) 1. Mariæ Magdalene prope sepulcrum in specie Hortulani (f) 2. Iterum Mariæ Magdalene, & reliquis mulieribus in via dum à sepulcro in urbem reverti properant, (g) 3. Apostolo Petro (h) 4. duobus discipulis Emauntem versus expatiantibus. (i) 5. Decem Discipulis Hierosolymæ vesperi clausis jam foribus, absente Thoma.

(e) Joh. 20, 15, 16. (f) Matth. 28, 9. (g) Luc. 24, 34. 1. Cor. 15, 5. (h) Luc. 24, 31. (i) Luc. 24, 36. Joh. 20, 19.

XXXVIII.

Post diem Paschatos, apparuit itidem quinquies: 1. Post octiduum undecim discipulis præsentem Thoma.

Joh. 20, 26. 1. Cor. 15, 5.

XXXIX.

2. (k) Septem discipulis in litore maris Galilæi prope Tiberiada (l) 3. Jacobo. (k) Joh. 21, 4. (l) 1. Cor. 15, 7.

XL.

Et quod obiter, ὡς ἐν παρόδῳ, notandum: Theophylactus fanè & alij Jacobum hunc volunt esse Jacobum minorem, qui (m) Frater DOMINI habitus & appellatus, quiq; postea Episcopus Hierosolymæ factus scribitur.

(m) Gal. 1, 20.

XLI.

Tradit Hieronymus: CHRISTUM idè ipsum peculiari apparitione dignatum esse, quòd inter celebrationem

ncm

259
nem sacrae Coenae, vel, ut *Gregorius Turonensis* refert, cum
CHRISTUM jam in cruce pendentem videret, religio-
se affirmavit: se cibum non sumturum, donec CHRI-
STUM e mortuis resuscitatum cerneret.

XLII.

4. (n) CHRISTUS se conspiciendum praebuit, plus-
quam quingentis fratribus simul, & quidem (o) in Mon-
te Galilaeae, quem Thaborem fuisse existimant.

(n) 1. Cor. 15, 6. (o) Matth. 28, 15.

(p) vide: *Matthes. in Vita CHRISTI conc. 86.*

XLIII.

5. In Monte Oliveti propè Bethaniam, jam adscen-
surus in coelum, Luc. 24, 50. Act. 1.

XLIV.

Cæterum post suam Ascensionem CHRISTUS ap-
paruit, partim Stephano, partim Paulo.

XLV.

Stephano semel, cum staret coram Concilio Hiero-
solimitano, Act. 7, 55.

XLVI.

Paulo autem quinque: 1. (q) in Itinere Dama-
sceno, (r) 2. Corinthi. (s) 3. Hierosolymis, (t) in
templo. 4. Iterum Hierosolymis in castris. (u) 5. in
navi orta tempestate.

(q) Act. 9, 3. cap. 22, 6. 1. Cor. 15, 8. (r) Act. 18, 9.

(s) Act. 22, 18. (t) Act. 23, 11. (u) Act. 27, 23.

XLVII.

Et tantum de Resurrectionis Actu, vel τῷ ἔργῳ: τὸ δὲ ἔργον, II. Fructus
vel fructus ejusdem quod attinet: eorum utique septem à Resurrectio-
nis CHRISTI.
Propheta recensentur & celebrantur, qui ex ipsis Tex-
tus Prophetici visceribus excerpantur.

XLIIIX.

Nos hoc loco & tempore *Questiones* nonnullas aliquam dubias & controversas *μεταδοπομάδην* *neg dia Beg-*
χίαν excutiendas suscipimus.

XLIX.

V. Questiones.

- Quarum.**
1. *An rectè statuatur: CHRISTUM tertio die resurrexisse à mortuis?*
 2. *An CHRISTUS seipsum propria sua virtute à mortuis excitavit?*
 3. *Qualem gloriam per Resurrectionem acceperit?*
 4. *An corpore suo penetravit saxum obsignatum?*
 5. *Quid sit sentiendum de eo, quòd post Resurrectionem cibo usus?*

I. An rectè statuatur: CHRISTUM tertio die resurrexisse à mortuis?

L.

Affertio.

Credimus & confitemur in secundo Symboli Apostolici articulo: CHRISTUM Sospitorem nostrum tertio die à mortuis resurrexisse.

LI.

Affertionis fundamenta.

Affirmatur idem iisdem planè verbis in Symbolis Niceno, & Athanasij, itemq; in Augustana Confessione *Artic. 3.*

LII.

Et rectè quidem. Docent enim & testantur idipsum sacrae literae pluribus in locis quàm evidentissimè.

LIII.

Maximè verò: Hoseæ cap. 6. 2, Luc. 18, 33. Joh. 2. 19. 1. Cor. 15, 4. Matth. 12, 40.

Quo

LIV.

Quo in postremo loco expressè pronunciat SALVATOR ipse :

Quemadmodum fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus ac tribus noctibus; sic erit FILIUS HOMINIS in corde terræ, tribus diebus, ac tribus noctibus.

L V.

At enimverò quia ex Historia Evangelica liquet: CHRISTUM die Parasceves circa vesperam humatum, & mox primâ Sabbathorum resuscitatum, ac proinde unum duntaxat diem integrum, & duas saltem noctes Sepulcro detentum fuisse: non abs re quæritur, quæ ratione Confessio nostra & Scripturæ autoritas, cum Historiæ Evangelicæ veritate consentiat.

Ratio dubitandi.

LVI.

Sed facilis est responsio; si modò id pensi habeatur; quòd in locis Scripturæ paulò antè allegatis, quibusque Confessio nostra innititur, *Synecdochica* adhibeatur locutio, qua finis primi & initium tertij diei, pro integris diebus accipiantur, per *Synecdochen partis*.

L VII.

Et sic *μεταφορική* perquam bella & elegans inter Historiam Evangelicam & illa Scripturæ testimonia deprehenditur.

L VIII.

Causas quod attinet: cur CHRISTUS tertio die à Cause cur mortuis resurrexerit, non ante vel post illud triduum: CHRISTVS explicantur illæ à Patribus, præsertim Ambrosio & resurrexerit. Augustino.

LIX.

Breviter: Ante triduum noluit resurgere, ne mortis suæ veritatem suspectam redderet.

1. Non ante triduum.

B 3.

60 Non



3. Non post
triduum.

LX.
Non post triduum verò: sed tertio mox die, ut im-
pleret Scripturam *Osee 6, 2. Matth. 12, 40. Iohan. 2, 19.*
Luc. 18, 32.

LXI.
Quia in Carne eius (x) ἡ ἀνθρώπων tota sua plenitudi-
ne ἐνωμαίνωσ habitat, nec per mortem quidem inde se-
parata: (y) impossibile erat ipsum diutius à morte at-
tineri.

(x) *Iob. 1, 4. Col. 2, 9.* (y) *Act. 2, 24.*

LXII.
3. Propter Naturam, cui suus **DOMINUS** citò resti-
tuendus vivus, morte ipsius modò penitus dissolutum
iri visæ, ut ex exclamatione Dionysij Arcopagitæ ver-
bum mutuemur.

LXIII.
4. Propter discipulos, quorum tristitia & mœror ex
obitu **DOMINI** conceptus, tam acris & vehemens,
ut moram diuturniorem non ferre posse videretur.

LXIV.
5. Propter quosdam typos, quos hac temporis
Circumstantia pingere voluit.

LXV.
Quorum 1. Quòd nondum elapsâ tertiâ dischili-
ade Universalis Mortuorum Resurrectio, die novissi-
mo, hominum opinione celerius secutura.

LXVI.
2. Spiritualem nostram resurrectionem, ex cœno
peccatorum, ad exemplum Resurrectionis **CHRISTI**,
non ultra triduum, id est, minimè diu differendam.

Psal. 95, 8. Heb. 4, 1, 7. LXVII.

3. Nos è fovea calamitatum nostrarum brevè ere-
ptum

263.
ptum, & ex ignominia ad gloriam translatum iri, per-
inde ut CHRISTUS caput nostrum, cujus nos mem-
bra sumus, *Psal. 30, 6, Osee. 1. 6. 2. Ioh. 16, 16.*

II. *An CHRISTUS seipsum sua propria
virtute à mortuis excitavit.*

LXIX.

*CHRISTUM ex mortuis resuscitatum fuisse Divina
Virtute extra omnem positum est controversiam.*

LXIX.

In Scriptura virtus & potentia isthæc modò ipsi
(z) CHRISTO: mox (a) PATRI; mox simpliciter
DEO, & sic etiam (b) SPIRITUI Sancto tribuitur.

(z) *Ioh. 2. 19. c. 10, 18.*

(a) *Rom. 6, 4. c. 8, 11.*

(b) *Col. 2, 12. 2. Cor. 13, 4.*

LXX.

Videtur igitur hic se offerre ἀνελογία: sed non est, *Virtus Divina*
id quod ultro apparebit, si modò ὁμωνυμία λαμβάνουσα, *bifariam con-*
sideratur, *no* atque altero evolvatur verbulo.

LXXI.

Virtus enim & potentia, qua CHRISTUS à mortu-
is resuscitatus *bifariam* considerari potest ac debet.

LXXII.

I. *ἑσιωδῶς & absolutè*, & ita omnibus tribus perso-
nis Divinitatis est communis. Unde Regula Augu-
stini:

Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.

73. 2. ὅπερ

LXXIII.

2. ὑποστατικῶς, & relatè, & sic CHRISTO, secundæ Divinitatis personæ, propria.

LXXIV.

Priori considerationis modo CHRISTUS resuscitatus dicitur virtute ac potentia DEI ac PATRIS.

LXXV.

Posteriori autem modo CHRISTUS seipsum excitavit suâ propria virtute & potentia, communicatâ sibi secundum *Divinam naturam* à PATRE per æternam generationem: secundum *humanam verò naturam* per personalem unionem.

LXXVI.

Quest.

An ipsa natura humana seipsum excitaretur.

Sed quæritur ulterius, an ipsa humana CHRISTI natura seipsam excitaret?

LXXVII.

Eruditè respondet Thomas de Aquino parte 3. summæ, quæst. 53. & ex Thoma B. Gesnerus in libello de Persona CHRISTI.

Per mortem non fuit separata Divinitas, nec ab anima CHRISTI, nec ab ejus carne. Potest igitur tam anima CHRISTI mortui, quam ejus caro considerari dupliciter: Uno modo ratione Deitatis; alio modo ratione naturæ creatæ. Secundum igitur unitæ divinitatis Virtutem, & corpus resumpsit animam, quam deposuerat, & anima corpus resumpsit, quod dimiserat. *Es hoc est, quod de CHRISTO dicitur 2. Cor. ult. quod et si crucifixus est in infirmitate nostra, vivit tamen ex virtute DEI.* Si autem consideramus corpus & animam CHRISTI mortui, secundum virtutem nature creatæ, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit CHRISTUM resuscitari DEO.

LXXIIX.

269

Summa. FILIUS DEI suam animam cum corpore suo, & corpus suum suâ cum animâ iterum univit, suâ propriâ virtute Divinâ, qua, in ipsa etiam morte, utrumq; tum corpus tum animam, *ᾧ χωρήσει* intimâ & nunquam interruptâ, permeabat.

LXXIX.

Et si enim vinculum animæ & corporis per mortem dissolutum; adeoq; partes istas humanæ CHRISTI naturæ *συστατικὰς φυσικὰς* invicem separatas esse constat: vinculum tamen personalis unionis indissolutum mansit, & proinde nec corpus nec anima CHRISTI, ab inhabitante *Πορίσματα* τῷ λόγῳ *ὑποστατικῶς* distractum: sed utrumque in ipso τῷ *III. eliciuntur* λόγῳ indistracta, *ἀδιασπέρως, ἀδιαστέτως καὶ ἀδιασπάρως* perstiterunt.

XXC.

Rectissimè igitur ac verissimè dicitur FILIUS DEI sepultus, in sepulcro jacuisse, à mortuis resurrexisse. I.

XXCI.

Undè scitè & piè Bernhardus:
Passus est in cruce impassibilis DEUS, & in carne nostra mortali mortuus ac sepultus IMMORTALIS DEI FILIUS.

Serm. 14. Serm. parv.

XXCII.

Falsum contrà & impium est, quòd Reipublicæ Calvinianæ Dictator Beza sententiam Psalmi 16: *Non relinques animam meam in inferno*, hoc pacto vertere, imò pervertere non erubuit: I I.

Non relinques CADAVER meum in sepulcro.

C

Audet



XXCIII.

Audet nimirum homo male-feriatus sanctissimum CHRISTI corpus appellare cadaver; cum tamen eodem in Psalmo CHRISTUS ipse, per Davidem, disertè affirmet: Non futurum, ut corpus suum sentiat corruptionem.

XXCIV.

Idq; olim τυπικῶς adumbratum est, per ligna Sittim, vel ξύλα ἀσήπια; è quibus Arca Fœderis, quæ typus CHRISTI, constabat, *Exod. 25.*

XXCV.

Et qua quæso fronte corpus CHRISTI appellari poterit cadaver, cum *nec debuerit, nec potuerit* corrumpi.

XXCVI.

Non debuit, quia ἀναμάρτητον, φθαρτικὴ αὐτὴ κακότης in homine est à peccato.

XXCVII.

Non potuit: quia cum τῷ αὐτοζῶν ὑποστατικῶς unitum, inq; hujus hypostasi, etiam in morte, inseparatum subsistit.

XXCVIII.

Falsum in super est & auditu horrendum, quòd quidam ejusdem Reipublicæ (c) proceres scribere non verentur: Sanguinem CHRISTI pro nobis effusum computruisse, nec per resurrectionem in venas reassumptum fuisse.

(c) Calvinus in cap. 26. Matth.

Sadeel in indice errorum Gregorij de Valentia.

XXCIX.

Quid est θεομαχεῖν, quid est os ponere in coelum? quid est obloqui SPIRITUI sancto? si hoc non est.

Apertè

267.
XCI.

Apertè enim ac disertè in Scriptura SPIRITUS IL-
LE veritatis profitetur, quod sanguis pro nobis fusus: sit
DEI sanguis Act. 20. 1. Iob. 1.

XCII.

Idem eundem manifestâ ἀντιθέσει τῆς φθαρτῆς oppo-
nit, cāq; illum ab istorum censu eximit 1. Pet. 1, 18.

XCIII.

Et unde quæso valor & precium meriti CHRISTI
infinite: si istud re corruptibili acquisitum? Num
(d) κληρονομίαν illam ἀφθαρτῶν precio φθαρτῶν emptam
crediderimus? (d) 1. Pet 1, 4.

III. *Qualem gloriam CHRISTUS per
resurrectionem suam à mortuis
acceperit.*

XCIII.

Duplicem gloriam CHRISTUS obtinet: *Infinite*
& *Finitam.*

XCIV.

Infinite est τῆς λόγῳ propria, Carni autem assumptæ,
beneficio personalis unionis, verè ac realiter commu-
nicata.

XCV.

Et hanc sanè CHRISTUS habuit à primo conce-
ptionis momento quoad actum primum: quoad a-
ctum verò secundum eā se, liberrima voluntate, abdi-
cavit, durante statu exinanitionis, à tempore incarna-
tionis, usque ad tempus resurrectionis à mortuis.

XCVII.

Tum verò cepit CHRISTUS gloriam illam infinitam, etiam quoad actum secundum, exercere, salva interim *ὁικονομία*, qua, propter discipulos, illo inter Resurrectionem & Ascensionem temporis intervallo, singulari sapientiâ, uti voluit.

XCIX.

Et sic CHRISTUS quidem gloriam ac Majestatem suam divinam & infinitam, per Resurrectionem non accepit: eâ tamen, post Resurrectionem, quoad actum secundum, plenius uti incepit.

XCIX.

Gloria verò finita corpori CHRISTI glorificato subjective inest, specie quidem, & κατὰ τὸ ποῖόν, id est, *qualitate* beatis angelis & glorificatis hominibus communis: verùm κατὰ τὸ πῶσόν vel *quantitate*, id est, magnitudine & multitudine longè excellentior. *Phil. 3, 21.*

C.

Hanc gloriam accepit CHRISTUS beneficio resurrectionis, eamq; duplicem: 1. *Privativam*, 2. *Positivam*.

CI.

1. *Privativa gloria* est ἀφαιρέσις μίσης θνητῆς καὶ φθαρτῆς: δουλείας, *Esa. 53. 8. Psal. 10, 10, 11. Rom. 6, 9.*

CII.

2. *Positiva gloria*, quæ consistit, in quatuor corporum glorificatorum qualitatibus, ut 1. in ἀφθαρσία, 2. δόξη, 3. δυνάμει, 4. ποιότητι πνευματικῇ, juxta (d) Apostolum, vel secundum Scholasticos: in 1. *Impassibilitate*, 2. *claritate*, 3. *agilitate*, 4. *subtilitate*. (d) 1. *Cor. 15.*

CIII.

Quæst. de invisibilit. corp. glorificatorum.

Quæri solet ac potest hîc de invisibilitate: an & hæc in censa qualitatum corporum glorificatorum habenda. Ubi.

CIV.

Ubi notanda distinctio inter *invisibilitatem absolute & ratione potentia*: Et inter *invisibilitatem relate & ratione actus, a respectu nostri in hac vita consideratam.*

CV.

Priori considerationis modo corpora glorificatorum non sunt omninò invisibilia: sed sic comparata; ut cerni possint. Et ita videntur, & videbuntur in altero beatissimo ævo.

CVI.

Posteriori autem considerationis modo, eadem corpora invisibilia sunt, id est, tanta claritate & subtilitate prædita, ut oculis mortalibus ac terrenis conspici nequeant, nisi illi nobis, singulari DEI operatione, aperiantur, ut Discipulis, *Luc. c. 24. v. 31.*

CVII.

Et, *Matth. 27.* de ijs, qui cum CHRISTO, die Paschatos è sepulcris egressi, legimus, quòd non cuilibet obvio in sancta Urbe Hierosolyma: sed ijs duntaxat, quibus singulari DEI beneficio datum, conspici facti.

CVIII.

Quòd autem corpora glorificatorum in hac vita à nobis cerni nequeant: in causa est, quod illa sunt (e) *πνευματικά*: nos verò *χρῆστικοί*. Inter τὸ πνευματικὸν verò & τὸ χρῆστικὸν nulla proportio, quæ tamen ad omnem visionem necessariò requiritur.

(e) *Sap. 9, 15.*

CIX.

Ficulneum proinde & stramineum est Dipnosophistarum argumentulum, quo CHRISTI corpus Cena abesse contendunt, ex eo, quòd inibi oculis non conspiciatur.

C 3

110. Qua-

CX.

Quest. de Ci-
catricibus
CHRISTI.

Queritur ulterius; si CHRISTI corpus glorifica-
tum, adeoque ab omnibus *divitiis divitiis* immune &
liberum post resurrectionem obtinet: quid de Cica-
tricibus ipsius sentiendum.

CXI.

Sunt nonnulli è Patribus, qui, bono studio, statuunt
CHRISTUM adhuc cicatrices illas retinere.

CXII.

Sed rectius respondetur, distinguendo inter il-
lam *periodon libertatis* *divitiis* ante ascensionem: &
statum plenarie *divitiis* ad dextram æterni Patris
post ascensionem.

CXIII.

In illa *divitiis* periodo ostentavit DOMINUS di-
scipulis suas cicatrices, fidei eorum confirmandæ gra-
tiâ.

CXIV.

Unde rite ac scitè Augustinus.

*Retinuit CHRISTUS cicatrices in corpore: ut sanaret
vulnus dubitationis in corde.*

CXV.

Quòd autem ad dextram æterni Patris adhuc ha-
beat illas cicatrices: conditioni glorificatorum cor-
porum planè adversatur, nec ullo Scripturæ funda-
mento astrui potest.

CXVI.

Nam quæ ex (f) *Zacharia* & (g) *Apocalypsi* proferun-
tur: laborant ignoratiâ elenchi, tantumq; id inde colli-
gi potest: quod impij visuri sint, CHRISTUM, ab ipsis vul-
neratum verberatum maceratum, & nihil amplius.

(f) c. 12, 10. (g) c. 1. 7.

III. An

III. *An CHRISTUS corpore suo glorioso
penetrârit saxum sepulcri obsigna-
tum?*

CXVII.

De hac quæstione inter nos & Majestatis CHRI-
STI Hostes Zwinglio-Calvinianos contenditur.

CXVIII.

Nos CHRISTUM reverâ corpore suo glorioso sa-
xum sepulcri obsignatum penetrâsse, eo momento,
quo à mortuis resurgebat, absque ulla hæsitacione af-
firmamus.

CXIX.

Affirmationis rationem si à nobis quis exigit: en-
præsto est in ipso hoc textu Evangelico *Matthæi c. 28.*

*Vespera autem Sabbathorum, quæ lutescit in unam Sab-
bathorum, venit Maria Magdalena & altera Maria,
UT VIDERENT SEPULCRUM. Et ecce terra-
motus factus est magnus, Angelus enim DOMINI
descendit de celo, & accedens devolvit lapidem ab o-
stio, sedebatq. super eum. Erat autem aspectus ejus sicut
fulgur, & vestimentum ejus candidum sicut nix. Præ-
timore autem ejus, concussi sunt custodes, & facti sunt
velut mortui. Respondit a. Angelus & dixit mulieribus;
Nobite timere vos. Scio enim quod JESUM qui crucifixus
est, quaritis. Non est hic, SURREXIT ENIM, sicut
dixit.*

CXX.

Duo enim ad præsens istud institutum, plurimum
momenti & emolumentum afferentia, rectissimè inde
colliguntur.

CXXI.

*Vnum est, resurrectionis tempus, quod devolutionem
saxi non demum esse subsequutum: sed antecessisse, ex eo
constat, quod Angelus non descendit, ut saxo à monu-
mento*

mento devoluto resurrectionem CHRISTI promovere: sed ut eandem jam factam mulieribus jam, ut sepulcrum viderent venientibus, ὀφθαλμοφανῶς ostenderet.

CXXII.

Resurrectionis enim CHRISTI actus nulla fit mentio: sed ea jam facta & peracta præsupponitur.

CXXIII.

Hoc verò commemoratur; quòd Maria Magdalena & altera Maria venerint, UT VIDERENT SEPULCRUM.

CXXIV.

Atque hinc sequens historiola dependet tota, eòq; ut ad scopum verè-vernaculum unicè referenda est.

CXXV.

Alterum est finis, cujus gratiâ Angelus saxum à sepulcri ostio devolvit.

CXXVI.

Is verò, uti & jam modò annotatum, eò collimavit minimè, quasi CHRISTUS è sepulcro emergere non potuerit, nisi saxo indè devoluto: sed ut Angelus δειξείτω πικρῆ testatum ac probatum redderet: CHRISTUM ὄντως resurrexisse, sicut loquitur *LUCAS c. 24, 34.*

CXXVII.

Ideò digito quasi indice ad sepulcrum directo hac ad Mulieres προσφωνήσας utitur:

Non est HIC. Surrexit enim.

CXXVIII.

Suffragatur hac in parte nobis Theophylactus quoq; *Resurrexit*, inquit, DOMINUS, lapide adhuc super sepulcrum posito. Postquam autem surrexit DOMINUS, & Angelus venit, ut devoluto lapide accessum habeant mulieres ad sepulcrum.

In Matth. c. 28.

129. Cetc-

CXXIX.

Ceterorum Patrum ut Nanzianzeni, Justini & aliorum συγκαταΨηφισμὸς silentio involvimus.

CXXX.

Quid verò Zwinglio-Calviniani? Affirmativæ nostræ: suam κατὰ δῆμῶν opponunt Negativam: docere non erubescunt: CHRISTUM per saxum sepulchrale glorificato corpore nequaquam penetrasse, sicut nec per fores occlusas.

Negativa Calvinistarū.

CXXXI.

Sic enim gentis illius AntiLutheranæ Patriarcha Calvinus:

Nam sicut aqua non secus ac solidum pavimentum, CHRISTO iter præbuit super lacum ambulanti: ita nihil mirum si ad ejus occursum se flexit lapidis durities. Etsi probabilius est, ejus imperio amotum fuisse lapidem, & mox, transitu dato, in suum locum rediisse. Nec januis clausis intrare tantundem valet, ac penetrare per solidam materiam, sed sibi aditum patefacere divina virtute, ut repente steterit inter suos discipulos, planè admirabili modo, eum obsecrata essent fores, Lib. 4. Inst. c. 17. Sect. 29.

CXXXII.

Cui Præceptorum Discipuli quidam suum adjiciunt Calculum, cum primis Sadeel ille χριστομάχου, de verit. hum. nat. CHRISTI f. 194.

CXXXIII.

Sed hosce suos aliàs non ex semisse: sed ex asse ἀυροῦ κασιγῆτες, ἐν πῶσι redarguunt non pauci ejusdem factionis socij, ut Musculus in cap. 28. Matthæi, Marloratus in Bibliotheca & alij, qui nobis, circa præsentem hanc quæstionem, planè sunt ἐμὸς Ψηφισμὸς.

D

Quia



V. Quid de cibo, quo CHRISTUS post resurrectionem usus, sentiendum.

CXXXIV.

Certum est & indubium, quod corpora glorificata nullo planè indigeant cibo.

CXXXV.

Corpora glorificata non indigent cibo.

Non enim amplius sunt *φθαρτά*: sed *ἀφθάρτα*.

1. Cor. 15. 42. 53.

CXXXVI.

Hinc *Apoc. c. 7.* de Electis dicitur:

Non ESURIENT, neq; sitient amplius.

CXXXVII.

Et 1. Cor. 6. tale pronunciatum edit Apostolus: *Escae ventri destinatae sunt, & venter escis: DENS autem & hunc & illas abolebit.*

CXXXVIII.

Dispensatio

CHRISTI.

Quod autem CHRISTUS post suum in Vitam reditum cibo usus est: id omne non naturæ indigentiae: sed dispensationi ipsius liberæ adscribendum.

CXXXIX.

Causam istius dispensationis Evangelista ipse explicat, estq; non alia, quam hæc; ut nimirum hoc ipso falsa & erronea discipulorum opinio, qua phantasma se videre putabant, cò evidentius ac potentiùs refutaretur.

CXL.

Sic enim Lucas Evangelista *ἠεὶ ἔαυτὸν ἑώρακεν*: Existimabant (*ἑδόνον*) se spiritum videre. Luc. 24. 37.

CXLI.

Hanc *δόξαν* ut eorum animis eximeret *ὁ καὶ ποδοῦνός*: monstrabat ipsis, primò pedes, & deinde; (NB.) *ἐν τῆς ἀρεῖας*, aliquid edulij sibi dari postulabat.

NB.

NB. ADHUC (ἐτι) illis non credentibus præ gaudio, 3.
& mirantibus dixit: Habetis aliquid edulij (τὸ
βρώσιμον) hic? &c.

CXLII.

Et hunc sanè cibum sibi oblatum assumpsit quidem
DOMINUS: sed non convertit in nutrimentum cor-
poris.

CXLIII.

Quid ergo? Cibus assumptus eo ipso momento, quo
assumptus, glorificati corporis naturâ, tanquam igni
quodam, subito absumtus est, perindè ut cibus, quem
Angelos sumsisse legimus Gen. 18.

CXLIV.

Eòq; alludit Beda super Lucam talem fingens pin-
gensq; similitudinem.

*Aliter absorbet aquam terra sitiens: aliter solis radius
calens: Ille indigentia: hic potentia.*

CXLV.

Et tantum etiam de Resurrectione CHRISTI,
quam plurimorum pariter & præclarissimorum fru-
ctuum respectu, ἀγαθῶν ἀγαθῶν non immeritò appella-
veris.

CXLVI.

Quod superest: Colophonem huic Disputationi
imponimus isthac ἐπιτομὴν & δοξολογίαν Apostolica,
Hebr. 13.

*DEUS pacis, qui reduxit à mortuis pastorem ovium il-
lum, in sanguine Testamenti æterni, DOMINUM nostrum
JESUM CHRISTUM, absolutos nos reddat in omni o-
pere bono, ad faciendum voluntatem ipsius, efficiens, ut
quod agimus acceptum sit in conspectu suo, per IESUM
CHRISTUM, cui gloria in secula seculorum Amen.*

F I N I S.

HN



Aug VI 46(1)

ULB Halle 3
003 143 333





82

Reha

US 17







III.

249

ἡ παλάμη

ATIO V.

II I. Esaia,

URA ET

ONE CHRISTI,

Albim Academia,

firmandæ, & ψα

andæ gratia,

tuta,

AC PRÆSIDE

FORSTERO

Doctore & Pro-

publico,

NDENTE

HERMANNO,

slaviensē

ris locoq̄, consuetis.



BERGÆ,

manni, Anno 1610.



2

